In Nuptiis auspicatissimis,

VIRI

Nobilissimi, Excellentissimi, Experientissimique

DOMINI

GEORGII PETRI Schultz/

Phil, & Med. Doct. itemque Profess. Publ. Ordinarii in Illustr. Thorunensium Athenæo Longe meritissimi

Cum

Florentiss. & omnibus sui sexus virtutibus Exornatissima

FEMINA

REGINA,

Nat. HEMLINGIA,

Vidua

MENNICHIA;

D. 16. Ianuarii A. M. DCCXIV.

Celebratis,

Observantiam & animi cultum declarare omniaque prospera

Nobiliss. Neonymphis

apprecari volebant,

SUPREMI ORDINIS AUDITORES.

THORUNII,

mpressit Joann. Nicolai, NOBIL. SENATUS & GYMNASII Typographus.

Qui meidcis primum docuit depellere morbos
Artibus, & placidam potu reparare salutem;
Qui dedit herbarum salubres cognoscere vires
Cynthius, expertam dum sorte requireret herbam
Ipse gravi subito cœpit decumbere morbo.
Tum vero juvenis frigebant membra repente,
Amissoque genæ pallebant sangvine, quæque
Candida nunc fuerant fœdabat corpora tabes.
Spiritus ille levis, qui nostros permeat artus,
Ferme linquebat morituri membra; putares
Posse mori Phœbum, nec fratrem hunc esse Dianæ.
Ille mali impatiens tanti per gramina corpus
Projicit, & stomachans mox secum talia fatur:
Ergone qui docui salubres adhibere medelas
Morbis, & gelidam medicina pellere febrem,
Quique pereximias herbarum prædico vires
Ipse venenata correptus tabe jacebo?
Nilne valent herbæ, radices, pharmaca, pulvis?
Nec sanant dominum quæ prosunt omnibus artes?
Plura locuturum tollunt de gramine molli
Atque suis Horæ dominum imposuere quadrigis.
Vix tetigere domum, cum sensim augescere morbus
Incipit, atque dolor pectus descendit in imum.
Non secus Athææ Meleager filius olim
Per sua crudelem grassari viscera flammam
Sensit, cum torrem combusset pessima mater.
Ingens ergo fuit medicos accersere cura
Proh pudor, ut curent, qui paullo tradidit ante
Artem sanandi, docuitque repellere morbos.
Advolat excitus patriis Galenus ab oris,
Phillirides Chiron, Pœon, longæque Melampus
Instructus barba, primarius Hippocratesque.
Non sedare tamen tantos potuere dolores.
Tum Venus Idalia procedens spumea Cypro

Vltro

Vltro langventi vitam promittere Phœbo,
Sumere si vellet, quas traderet ipsa, medelas,
Donatamque sibi semper debere salutem,
Noluit ille prius, tandem cum cresceret ingens
Vis morbi, gelidusque dolor penetraret in ossa
Auxilium Veneris demissa voce poposcit.
Illa levi gressu descendit ad atria magni
Solis, & a medico depellit femina morbum.
Adstabant Charites ternæ, nudusque Cupido,
Dextera portabat poclum, quod porrigit ægro;
Quem simulac hausit potum, rediere calores
Vitæ, consvetus subito rubor ora notavit,
Titanemque levem cito convaluisse videres.
Tum vero placido splendens Venus ore locuta est:
Disce tuo exemplo nostras cognoscere vires.
Nil prosunt herbæ, nil pharmaca sive salubres
Radices, nil docta valent medicamina, nostra
Pocula sola tuum possunt sedare dolorem.
Sic est, ardenti quicunque Cupidinis arcu
Saucia corda gerit, nullo medicamine dulci
Vulnera tanta potest curare, nec arte mederi.
Omnia vincit amor, cedit *G*alenus amori.
Testis eris nobis, *Excellentissime Sponse*,
Dum subis æterni svavissima vincula amoris,
Iamque *Tibi Sponsam* sociali fœdere jungis.
TV medicis doctum, *Clarissime Sponse*, subinde
Artibus imbueras pectus, multosque per annos
Curasti varios dulci medicamine morbos.
TU salubres terræ vires, TV pharmaca quævis
Exacte nosti, variasque inquiris in herbas.
Prospicis humani quæ sint nocumenta maligna
Corporis, aut nostras labefactent fercula vires.
Nec tamen ægroti curabis tristia cordis
Vulnera, nec tanto præsens medicamen amori

Appli-

Applicuisse potes, nil herbæ, pharmaca, pulvis,
Expertæque valent artes, nil potio prodest,
Sola TVOS sanat *Clarissima Sponsa* dolores.
Cujus in eximio concurrunt omnia vultu
Quæ muliebre solent genus exornare decenter.
Formam triga dedit Charitum moresque venustos,
Svada tenet lingvam, sapiens sua pectora Pallas
Incolit, & toto splendescit corpore virtus.
Non minor est pietas & veri Numinis ardor,
Relligionis amans precibus quatit astra subinde,
Nec *Sibi* si pretium terrarum regna darentur
Negligeret justum cœlo deferre timorem.
Felix, *Cui* talis sociali fœdere juncta
Contra vim morbi præstantes *Sponsa* medelas
Porrigit, & querulum depellit corde dolorem.
Nos igitur *Vestras* celebramus carmine læto
Tædas, atque piis felicia quæque precamur
Mentibus, ut casto summum benedicat amori
Numen, & efficiat multa *Vos* prole beatos,
Vt nati possint *Clari* renovare *Parentis*
Nomina, Maternasque gerant in pectore dotes
Natæ. Transactis donec feliciter annis
Ad sacra consveti properabitis atria cœli.